





~~D. III. 18.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.


III A 114.

SIGNAT. 61515CCCXIII.









2

CHRISTIANI WEISII
NUCLEUS
LOGICÆ,

Succinctis
REGULIS
sufficientibus tamen
EXEMPLIS

in
COMPENDIO

exhibens

quicquid a primis disciplinæ
auditoribus disci vel requiri
potest,

*In eorum gratiam, qui majori Logicæ,
jam dudum publicatæ, manus admove-
re tandem capiunt.*

Prostat Lipsiæ apud Joh. Casparum Meyerum:
EISENBERGÆ,
JACOBI PETRI KÜCKELHANNII, A. 1706.



CHRISTIANI WELSHI
NICOLAI
LOGICA

SECTIO
REGULIS
EXEMPLIS

COMMENTARIO

IN
HONORE
SACRATISSIMI
SACRORUM

PROFESSORIS
NICOLAI
JACOBI PATERI





LECTOR BENEVOLE.

Prodierat hic nucleus, ut publicæ
disputationis argumentum ex-
hiberet in Gymnasio nostro, cui
specimen valedictorium debebat
JOH. TOBIAS HEINRICI, Lipsiensis.
Quia tamen non nulli crediderunt,
commodum fore, si pagina non ad-
modum multa legi possent à pluribus:
facile consensi, ut Bibliopola taber-
nam ingrederetur libellus, ex amica
nostrorum opponentium velitatione,
velut in apertiore censura pala-
stram protrahendus. Sed cum inscri-
ptum fuisset hoc specimen VIRIS
SPLENDIDISSIMIS, quos Respondens
habet PATRONOS, ac STUDIO-
RUM DIRETORES, DN. VALEN-
TINO ALBERTI, THEOLOGO
& PROFESSORI: EJUSDEM GENERO
DN. M. JOH. GÜNTHERO, ECCLE-
SIASTÆ APUD LIPSIENSES: facere non
potui

potui, quin NOBILISSIMIS NOMINIBUS
denuo consecratum ac commenda-
tum esse jubeam, quicquid laboris
scholastici, nucleo satis exiguo, propo-
nitur. Probabitur ipsis, sin minus
scribentis ingenium, certe seruum
pro vehenda juventutis studium. Ac
ut fundamentis apud me jactis su-
perstruere sapius queant splendidio-
ra & prestantiora, Deus, sanitatis
ac felicitatis auctor efficiat: quem
nobis, orbi erudito, Reip. Christia-
næ longis adhuc annis propitium ex-
periantur & benignum. Zittavia
è Gymnasio d. 16. Novembr.

MDCXC.



RA-



RATIO INSTITUTI.

I.
UT in omnibus disciplinis, sic in Logicâ trium generum habemus quæstiones. I. Aliquæ jaciendis fundamentis inserviunt, & ipsa necessitate postulante proponuntur, examinantur, repetuntur, etiam apud tyrones. Aliæ nescio quo jure consuetudinis libellos systematicos occupaverunt, ac ideo discuntur, ut satisfiat censoribus aut examinadoribus. Aliæ tandem provectionibus conducunt, qui vel meditando, disputando, vel alios docendo vires experiri volunt ultiores.

II. Obscurum id esse non potest, majorem nostram Logicam perlustranti. Habentur necessariae de Syllogismo, de Terminis quin & de singulorum instrumentorum applicatione, quibus imbui par est primos artis auditores. Habentur aliqua, non alium in finem repetita, quam ne displiceat hominibus consuetudini ad dictis, nec mei nesciant, quid responderi debeat, etiam in utilia quærentibus. Neque tandem illi nihil inveniunt, qui Scholasticorum aut Sophistarum tricis, vel realium disciplinarum difficultatibus pressi, lucem desiderant aliquanto clariorem. At

III. At interest iuventutis, quaestionum earum nosse discrimina, quid serio & accurate tractari, quid perfunctorie & in spem futurae oblivionis attingi, quid denique futuris & maturioribus meditationibus reservari debeat.

IV. Quamobrem ne praecipuum hoc praceptoris officium à me neglectum videretur, meis auditoribus nucleum aliquem proposui, cujus ductu quaestiones Logicas potiores cognoscerent, quibus excolendis solidum constaret disciplinae fundamentum.

V. Interim qui calamo id exceperant vel minus eleganter, vel minus accurate, sapius intelligebant, quid optassem, quam quid ipsi sperari possent: ac adeo gratum fuit per disputandi hanc occasionem, eligi argumentum id ipsum posse, quod multorum commodo formulis exscriberetur publicis.

VI. Occurrunt igitur in compendio, seu ut loqui libitum est, in nucleo, quibus carere Logices studiosus non potest, nisi fundamentum sternere velit adeo lubricum, quod superstruendis sublimioribus non sufficiat.

VII. Et ea praeter ceteris mihi sunt necessaria, quae praxin adjuvent, ac in studiis tum oratoris, quae loqui docent, tum potissimum moralibus, quae agere & consultare docent: quo simul cum Theologia refertur Jurisprudencia; praesentem aliquam utilitatem demonstrant.

Te-

VII. Testabantur id doctrinæ topicæ distinctiones: quas selegi varias quidem, sed exemplorum moralium maximè capaces: ne, qui regulas oratorias ad Logicæ ductum formare iubentur, vel minimis impedimentis districti, tardius aut molestius procedant.

IX. Brevitatis studium produunt regulæ: sed exemplis sua constabit perspicuitas, penè dixerim prolixitas, cum præsertim dirigantur ad usum & pietatem vitæ.

X. Nam, ne quid dissimuletur, quod exiguum hunc laborem commendare præ cæteris potest, dum enunciationum & syllogismorum attulimus exempla, virtutum ac vitiorum potiora leguntur nomina, quibus vel probandis vel improbandis Theologia, moralis, seu ut apud tyrones loquendum est, explicatio Decalogi, suam alias operam addicit. Sic ubi credimus, solam exerceri Logicam, aliqua repetuntur bonis moribus digna, quin & intermiscendis magistrorum admonitionibus accommodata.

XI. Sane non abnuerim, primulos auditores, præsertim quos ingenii tarditas abire vix patitur ultra classem rerum sensibilibum, exerceri facilloribus & brevioribus exemplis: *mensa est lignea, culter est ferreus, mensa potest comburi, culter potest nocere &c.* sed ut talia præscriberem, quæ cuilibet ultro paterent, non erat opus, nec in his acquiescendum est, siquidem ipsa dissertationum, & disputationum praxis, raro gaudet exemplis, quolibet
etiam

etiam compendia communiter perstrepunt. *Homo est animal. Homo non est lapis, Petrus scribit, Petrus non currit*: quin potius subjectorum & prædicatorum tales accedunt determinationes, quæ hominem brevibus tantum enunciationibus & syllogismis advetum, confundere vel distrahere quam facillime queant. Inde primis statim elementis hanc admisceri difficultatem, & pulcherrimam est & commodissimum.

XIII. Cæterum nulla res ita potest exhiberi, ut singulis assequendis valeat primi auditoris intellectus. Inde Consultum duxi, nonnullas theses asterisco notare, quas initio seponi, curisq; seu repetitionibus secundis reservari velim. Quod superest! Deum rogo, qui studiis instrumentalibus servare potissimum Gymnasia voluit, ut nobilem hanc ingeniorum nutricem, reddere dignetur Patronis gratiosam, docentibus jucundam, discipulis familiarem, ne qui pergunt ad sublimiora, scientiam invenisse, sed malo suo sciendi modum neglexisse conqverantur.





C. D.

PRÆPARATIO.

I.

Logica est disciplina instrumentalis, informans intellectum ad modum sciendi *h. e. ut feliciter tractare queat ceteras disciplinas.*

II. Partes habet duas: **THEORETICAM**, quæ agit de natura instrumentorum; **PRACTICAM**, quæ agit de applicatione instrumentorum.

III. **INSTRUMENTA** digeruntur in tres classes: quot nimirum sunt mentis operationes.

IV. Prima mentis operatio versatur circa terminum simplicem, seu nudum vocabulum sine affirmatione & negatione; *cujus instrumenta repertiuntur in PRÆDICABILIBUS.*

V. Altera mentis operatio versatur circa terminum complexum, cum duo termini simplices conjunguntur: *cujus instrumentum est ENUNCIATIO.*

VI. Tertia mentis operatio enunciationes scilicet propositiones inter se comparat, & ex iis aliquid colligit: *cujus instrumentum est SYLLOGISMUS.*

A

H86

VII. Hæc instrumentorum tractatio vel est facilior, *quæ cadere possit etiam in pueros*: vel difficilior, *quæ expectare debet annos paulum maturiores.*

VIII. Tractatio facilior occurrit in doctrinâ ENUNCIATIONIS & SYLLOGISMI, quæ pueros etiam dirigere potest in elaboratione *tum Peritorum, tum Chriarum.*

IX. Tractatio difficilior deprehenditur in terminis simplicibus, h. e. in doctrina PRÆDICABILIIUM, quam percipere nemo potest sine subsidio PRÆDICAMENTORUM & LOCORUM TOPICORUM.

X. Inde quemadmodum ordine naturæ præcedere debet terminus simplex: ita iubente sic methodo s. ordine doctrinæ primò dicitur de Enunciatione, postmodum de Syllogismo, tandem de Terminò.

CAP. I. DE ENUNCIATIONE.

I.

ENUNCIATIO est oratio constans ex subjecto & predicato.

DEUS vivit.

Pietas & utilis.

II. SUBJECTUM est, de quo aliquid dicitur: PRÆDICATUM, quod dicitur. Utraque pars jungitur per copulam, h. e. per verbum EST, vel per constructionem prædicati,

Quia

III. Quia subjectum inchoat enunciationem, prædicatum eandem finit, alio nomine dicuntur Termini.

IV. Subjecto & Prædicato plerumq; accedunt alia vocabula, quæ sensum magis illustrant, & dicuntur determinationes.

DEUS benignissimus AMAT homines.

PIETAS, quæ timorem, amorem, & fiduciam Deo probat, hujus & alterius vita felicitatem AFFERT.

* V. Interim Enunciatio Logica simplicem & ordinatam constructionem amat: sibiq; cavere discit à constructionibus Rhetoricis,

Omnis is est constans, qui amat DEUM.

Humilitatem docet Pietas.

nam Logicè sic diceret:

Omnis, qui amat Deum, est constans.

Pietas docet humilitatem.

hinc etiam utiles non sunt

Optativæ: *utinam Deus nos exaudiat!*

Præcativæ: *Adjuva nos Deus!*

Imperativæ: *Confide Deo.*

Interrogativæ: *Quando visiet Deus?*

nisi ex non enunciativis, ut Logici loquuntur, fiant enunciativæ, ac certi quid determinent;

Opto, ut Deus nos exaudiat.

Rogo, ut Deus non adjuvet.

Tu debes considerare Deo.

Scire velim tempus, quo venerit Deus.

VI. ENUNCIATIO dividitur quadrifariam. Est enim

Vera vel Falsa.

Affirmativa vel Negativa.

Universalis vel Particularis.

Simplex vel Composita.

VII. VERA est, quæ cum re consentit.

Christianus verus est patiens.

FALSA est, quæ cum re dissentit.

Christianus verus desperat.

* VIII. Res, cum qua consentire debet enuntiatio, vel habetur in disciplina reali.

Fides in Christum justificat.

Tutor obligatur pupillo.

Vinum nocet febricitantibus.

Virtus consistit in mediocritate.

vel dependet ab experientia.

Tempore hiemis arbores carent foliis.

Turcæ frustra tentaverunt Viennam.

IX. Enunciatio AFFIRMATIVA prædicatum dicit inesse subjecto.

DEUS est adorandus.

NEGATIVA prædicatum removet à subjecto.

Imagines non sunt adorande.

X. Dantur enunciationes apparenter negativæ, quæ tamen affirmant: ac vocantur INFINITÆ, ubi negatio non sufficit copulam, sed petrinet vel ad subjectum, vel ad prædicatum.

Omnis non cognoscens Deum, amat mundum
quasi dicas;

Qui

Quicumq; non cognoscit Deum, amat mundum.

Hypocrita est non cognoscens Deum, seu commodius.

Hypocrita est is, qui non cognoscit Deum.

* XI. Dantur enunciationes apparent affirmativæ, quibus tamen in est negatio: quales sunt EXCLUSIVÆ.

Sola fides justificat.

Dicuntur EXPONIBILES, quoniam sic exponuntur;

Fides justificat, &

Quicquid non est fides, non justificat.

* XII. Affirmatio & negatio interdum est ABSOLUTA,

Pius est humilis.

Superbus non cognoscit seipsum,

interdum prædicato accedit MODUS.

Pius necessario est humilis.

Superbus impossibiliter cognoscit seipsum.

Christianus contingenter est afflictus.

Infelix possibiliter contemni calamitatem.

Equidem communiter sic exprimuntur.

NECESSE est pium esse humilem.

IMPOSSIBILE est superbum cognoscere seipsum.

CONTINGIT Christianum affligi.

POSSIBILE est infelicem contemnere calamitatem.

Sed ista constructio non est simplex & logica: quin potius inclinare videtur ad variationem rethoricam, unde variis etiam exponitur difficultatibus.

XIII. Enunciatio UNIVERSALIS est, cujus subiecto præfigitur signum universale s. ad omnes pertinens.

O. amicus Dei libenter salutat.

N. honestus libenter jurat.

Quicumq; committit perjurium, est blasphemus.

* XIV. Sententiam universalem etiam alia habent vocabula.

Ubiicumq; Deum confitemur, ibi templum est.

Quandocunq; serio precamur, tempus sacrum est.

Undecunq; turbatur devotio, id illicitum est.

Sic enim resolvuntur.

Omnis locus, ubi Deum confitemur, templum est.

Omne tempus, quo serio precamur, sacrum est.

Omnis res, unde turbatur devotio, illicita est.

XV. Enunciatio PARTICULARIS est, cujus subiecto præfigitur signum particulare s. ad paucos pertinens.

Quædam allegatio nominis divini est injusta.

Aliqua precatio est simulata.

Nonnullum votum est illicitum.

XVI. Enunciatio, quæ nullum habet signum, vocatur INDEFINITA.

Sabbatum est sanctificandum.

Concio non est negligenda.

XVII. Quando subjectum est nomen proprium vel designatur pronomine demonstrativo, enunciatio vocatur SINGULARIS.

David delectabatur verbo Dei.

Hic rex, quem depictum videmus pulsantem fides, delectatus fuit verbo Dei.

* XVIII. Dantur enunciationes apparenter universales.

1. Quando signum subjecto competit collectivè tantum in plurali, non distributivè in singulari.

O, concionatores in nostro templo sunt quatuor.

2. Quando signum pertinet ad determinationem subjecti vel prædicati.

Q, qui legit omnes Scripturas, liberos est plebejus.

Q, studiosus audivit omnes concionatores.

XIX. Enunciatio SIMPLEX seu CATEGORICA est, quæ unum habet subjectum & unum Prædicatum.

Jejunium est licitum.

Qui verbum Dei meditatatur, percipit gaudium spirituale.

XX. Enunciatio COMPOSITA est, quæ dividitur in Antecedens & Consequens.

Si proximus debet amari, debet tolerari.

XXI. Enunciatio composita est triplex; Hypo-
thetica, Copulativa, Disjunctiva.

XXII. HYPOTHETICA Prædicatum subjecto
tribuit sub certâ conditione.

*Si scandalum est pernitiosum, non debet da-
ri proximo.*

XXIII. COPULATIVA uni subjecto tribuit
plura prædicata, vel unum prædicatum pluribus
tribuit subjectis,

*Parentes & honorandi, & obsequiosè colen-
di, & gratis officii prosequendi sunt.*

*Et Princeps & parens, & patronus requirit
venerationem.*

* XXIV. DISJUNCTIVA nominat multa prædi-
cata è quibus unum subjecto tribui potest.

*Filius degenerant ignavus, aut morosus aut
voluptat deditus est.*

*Si puniri debet filius, id faciet aut Parens
aut Præceptor, aut Magistratus.*

* XXV. Dantur enunciationes apparenter com-
positæ, quæ tamen sunt simplices.

*Sicuti se habet tranquilla tempestas ad a-
gros: ita se habet placabilitas ad conver-
sationem humanam.*

Qualis amicitia, talis concordia.

Sic enim resolvuntur.

*Quæcumque commoditas à tranquilla tem-
pestate defertur ad agros, ea placabilita-
ris beneficio defertur ad conversationem
humanam,*

Quæ

Qualitas amicitia est qualitas concordie,
seu clarius:

Quæcumque bonitas seu firmitas competit a-
micitia, ea simul competit concordie.

XXVI. Quando enunciationes affirmativæ & negativæ juxta se ponuntur, emergit OPPOSITIO: quæ quidem est duplex: Contraria & Contradictoria.

XXVII. CONTRARIA, ubi invicem pugnant quæ universales.

O misericors cogitat de auxilio.

N. misericors cogitat de auxilio.

*XXVIII. Insigni tamen defectu laborat hæc oppositio, quod in materiâ contingente, utraqve potest esse falsa.

O. inimicus est homicida.

N. inimicus est homicida.

XXIX. CONTRADICTORIA est inter universalem & particularem.

O. Invidia nocet sibi met ipsi.

Q. Invidia non nocet sibi met ipsi.

N. iracundus est fortis.

Q. iracundus est fortis.

XXX. In singularibus & indefinitis sufficit simplex negatio.

Vindictæ cupiditas animum reddit turbul-
entum.

Vindictæ cupiditas animum non reddit tur-
bulentum.

Esauus nociturus: Jacobo habebat animum turbulentum.

Esauus nociturus Jacobo non habebat animum turbulentum.

XXXI. Contradictoria quoque est, cum enunciationi praefigitur particula NON.

Inimici sunt diligendi.

Non inimici sunt diligendi.

quasi dicas:

Hæc enuntiatio, quæ statuit inimicos esse diligendos, non est vera.

etiam in compositis:

Si vicinus gaudet de vicini malis, ei denegabit auxilium.

Non si vicinus gaudet de vicini malis, ei denegabit auxilium.

* XXXII. Oppositionibus contradictoriæ hæc est nobilitas, ut altera semper sit necessario vera, altera necessario falsa. Proinde commodissimum in disputationibus locum invenit.

* XXXIII. Cæterum in quavis oppositione requiritur, ut utrobique sint iidem termini, & idem terminorum sensus. Inde minus probantur exempla:

Homicidium (dum latro conficit viatorem) est peccatum.

Homicidium (dum carnifex percutit maleficum) non est peccatum.

Calumniator est homicida (improprie)

Calumniator non est homicida (proprie.)

Ti-

Timidus nocet proximo (indirectè quoniam non fert suppetias)

Timidus non nocet proximo (directè, quia iam infert injuriam.)

CAPUT II. DE SYLLOGISMO.

I.

OMnis enunciatio probari potest per suam rationem.

II. Quando enunciatio s. propositio probanda antecedit, ratio sequitur, dici solet **MATERIA SYLLOGISMI**, vel in Oratoriis **CHRIA**.

Juvenis est castus.

Nam vult placere sancto DEO.

III. Quando ratio antecedit, & ipsa propositio probanda sequitur à Logicis vocatur **ENTHYMEMA**; ab oratoribus **CHRIA INVERSA**.

Juvenis placere vult sancto DEO, E.

Juvenis est castus.

IV. Quando in enthymemate quæritur rationis & probandæ propositionis connexio, perfectus emergit syllogismus.

Qu. placere vult sancto DEO, est castus.

Juvenis placere vult sancto DEO, E.

Juvenis est castus.

In

V. Inde quilibet Syllogismus habet tres terminos.

SUBJECTUM Conclusionis, *Juvenis.*

PRÆDICATUM Conclusionis, *est castus.*

CONNEXIONEM s. medium terminum,
vult placere sancto DEO.

VI. Quilibet etiam Syllogismus habet tres propositiones.

MAJOREM, ubi construitur medius terminus cum prædicato conclusionis.

MINOREM, ubi construitur medius terminus cum subjecto conclusionis.

CONCLUSIONEM.

Major, *Quæ custodire debet famam, debet esse verecundus.*

Minor, *Literarum studiosus debet custodire famam, E.*

Conclusio, *Literarum studiosus debet esse verecundus.*

VII. A positu medii termini dignoscuntur Figure: quas habemus tres.

VIII. PRIMA FIGURA medium terminum in Majori h. e. in primâ propositione habet loco subjecti, in minori h. e. in alterâ propositione loco prædicati.

Quæ suppeditat occasionem peccandi, debet vitari.

*Ebrietas suppeditat occasionem peccandi, E,
Ebrietas debet vitari.*

SE-

XI. SECUNDA FIGURA medium terminum utrobique; habet loco prædicati.

Qc. studiis conducit, id ingenium non reddit tardum.

Intemperantia cibi ingenium reddit tardum. E.

Intemperantia cibi studiis non conducit.

X. TERTIA FIGURA medium terminum utrobique habet loco Subjecti.

Q. Focus parit scandalum.

Q. Focus excitat hilaritatem. E.

Q. quod excitat hilaritatem, parit scandalum.

XI. Caterum ut cognoscamus syllogismos legitimos, Regulae dantur GENERALES, h. e. omnibus figuris communes, & SPECIALES, h. e. singulis figuris propriae.

XII. Generales regulae sunt tres. Prima EX PURIS PARTICULARIBUS, vel EX PURIS NEGATIVIS NIHIL SEQVITUR, Inde nihil valent Syllogismi:

Q. vitium est scurrilitas.

Q. luxus vestimentorum est vitium. E.

Q. luxus vestimentorum est scurrilitas.

N. lascivia est virtus.

N. sobrietas est lascivia. E.

N. sobrietas est virtus.

XIII. Altera regula est: IN SYLLOGISMO NON SINT PLURES TERMINI QVAM TRES. Inde non valet argumentatio;

Qc. ingreditur convivium (impium & impurum) peccat.

Q. Christianus ingreditur convivium (pium, modicum & purum). E.

Q. Christianus peccat.

XIV. Sunt tamen Syllogismi, qui apparenter habent plures terminos, si forte in aliqua propositione lateat ellipsis.

Qc. Studiosus tractat artes ridiculas, negligit suum scopum.

Johannes tractat artes ridiculas. E.

Johannes negligit suum scopum.

nam minor expressè sic debet poni:

Johannes est studiosus, qui tractat artes ridiculas.

item

Qualis Praeceptor talis discipulus,

Praeceptor amat vanitatem. E.

Discipulus amat vanitatem.

Sic enim se habet legitima constructio.

Qualitas Praeceptoris est qualitas discipuli.

Amare vanitatem est qualitas praepetoris. S.

Amare vanitatem est qualitas discipuli.

XV. Tertia regula est: CONCLUSIO SEQUITUR PARTEM DEBILIOREM, h. e. si aliqua praemissarum sit particularis, ipsa conclusio est particularis: si aliqua sit negativa, conclusio quoque est negativa.

Vid. exempla figurarum sequentia,

Re-

XVI. Regulæ speciales applicantur ad ipsas Figuras.

XVII. IN PRIMA FIGURA:

Major semper sit universalis.

Minor semper sit affirmans.

O homo natus est laborem,

Princeps est homo. E.

Princeps natus est ad laborem,

N. in officiosus amat proximum.

O. ignavus est inofficiosus. E.

N. ignavus amat proximum.

O. Prodigalitas est improbanda.

Q. Eleemosyna est prodigalitas. E.

Q. Eleemosyna est improbanda.

N. Pauper timet à latronibus.

Q. sua sorte contentus est pauper. E.

Q. suâ sorte contentus non timet à latronibus.

ac adeo non valent Syllogismi:

Usuræ perdunt cives.

Furta non sunt usura E.

Furta non perdunt cives.

Quidam villicus est hospitalis,

Nabal est villicus, E.

Nabal est hospitalis.

XVIII. Improbari tamen non debent Syllogismi; quorum minor apparenter negat, re tamen ipsâ, quoniam habet constructionem infinitam, affirmat.

Qc.

Qc. non custodit divitias non potest esse beneficus ;

Mercator incautus non custodit divitias : E.
Mercator incautus non potest esse beneficus,

XIX. In SECUNDA FIGURA

Major semper fit universalis.

Altera præmissarum, adeoq; ipsa conclusio
fit negativa.

N. Vir bonus est fraudulentus.

O. Falsator mercium est fraudulentus. E.

N. Falsator mercium est Vir bonus.

O. Filius bonæ indolis pecuniam bene collocat.

N. Luxuriosus pecuniam bene collocat. E.

N. Luxuriosus est filius bonæ indolis.

N. beneficus est avarus.

Q. amicus est avarus. E.

Q. amicus non est beneficus.

Q. Deo confidit, non captat nimium lucrum.

Q. eruditus captat nimium lucrum. E.

Q. eruditus Deo non confidit.

Ac adeo non valent Syllogismi :

O. avaritia displicet Deo.

O. prodigalitas displicet Deo. E.

O. prodigalitas est avaritia.

Q. Christianus circumvenit proximum.

N. pius circumvenit proximum. E.

N. pius est Christianus.

XX, IN TERTIA FIGURA

Minor semper sit affirmans,

Conclusio sit particularis.

*O. Veritas decet Christianum.**O. Veritas displicet peccatoribus. E.**Q. quod displicet peccatoribus, decet Christi-
anum.**N. delator est amore dignus.**O. delator blanditur E.**Q. qui blanditur est amore dignus.**Q. suspicio decipitur**O. suspicio jaecat nomen tanta Pruden-
tia E.**Q. quod jaecat nomen tanta prudentia de-
cipitur.**O. qui commendat proximum est benefa-
ctor,**Q. qui commendat proximum est pauper. E.**Q. pauper est benefactor.**Q. Mendax non invenit fidem.**O. mendax est jaetabundus. E.**Q. jaetabundus non invenit fidem.**N. qui bona fama studet, alteri maledicit.**Q. qui bona fama studet, est inimicus E.**Q. inimicus alteri non maledicit.*Imprimis hic valent Syllogismi ab exemplis sin-
gularibus petiti,

David omnia benignè interpretatur

David à multis leditur, E.

Q. qui à multis leditur, omnia benignè interpretatur.

Saul est adulator.

Saul dissimulat inimicitiam. E.

Q. qui dissimulat inimicitiam est adulator.

Non autem procedunt isti:

O hypocrita fallit proximum,

N. hypocrita est apertus fur. E.

Q. apertus fur non fallit Proximum.

O. verum testimonium laudatur

O. verum testimonium consistit in sermone; E.

Q. consistit in sermone laudatur,

* XXI. Dantur Syllogismi quoad formam illegitimi, quorum tamen conclusio per accidens est vera, respectu materiæ.

N. mendacium est laudandum.

N. ebrietas est mendacium; E.

N. ebrietas est laudanda,

Nam in eadem formâ syllogismus emergit falsus.

N. mendacium est laudandum.

N. veritas est mendacium; E.

N. veritas est laudanda.

* XXII. Dantur etiam syllogismi HYPOTHETICI, qui tamen facile reduci possunt ad categoricos s. simplices. Duabus autem regulis eosdem comprehendimus.

XXXIII.

* XXIII. Prima regula est: POSITO ANTECEDENTE PONITUR h. e. affirmatur CONSEQUENS.

Si concupiscentia seducit hominem, est fugienda;

Sed verum est prius, h. e. ponitur antecedens: concupiscentia seducit hominem:

E.

Verum est posterius h. e. ponitur consequens:

Concupiscentia est fugienda.

Hic autem syllogismus est primæ figuræ:

Q. seducit hominem est fugendum;

Concupiscentia seducit hominem; E.

Concupiscentia est fugienda.

Hinc etiam non licet argumentari à negatione antecedentis ad negationem consequentis: nam syllogismus emergeret primæ figuræ, qui minorem haberet negativam.

Si concupiscentia est virtus, residet in animo:

Sed concupiscentia non est virtus; E.

Concupiscentia non residet in animo.

Si autem delegitur vitium,

O. virtus residet in animo,

Concupiscentia non est virtus. E.

Concupiscentia non residet in animo.

* XXIV. Altera regula est: REMOTO CONSEQUENTE, REMOVETUR ANTECEDENS.

Remove autem est negare, seu contradictoriam substituere.

Si luxuriosus Christianè vivit, carnem crucifigit.

Sed removetur consequens: luxuriosus carnem non crucifigit. E.

Removetur antecedens: luxuriosus Christianè non vivit.

Nam Syllogismus est secundæ figuræ:

Qe. Christiane vivit, carnem crucifigit

Luxuriosus carnem non crucifigit. E.

Luxuriosus Christianè non vivit.

Inde posito consequente non licet ponere antecedens: nam syllogismus emergeret in secundâ figurâ affirmativus.

Si mala concupiscentia prohibetur in primâ decalogi tabula, est vitium.

Sed ponitur consequens: est vitium E.

Ponitur antecedens: mala concupiscentia prohibetur in primâ decalogi tabula.

idq; sic probari potest:

Qe. prohibetur in prima decalogi tabulâ, est vitium.

Mala concupiscentia est vitium E.

Mala concupiscentia prohibetur in primâ decalogi tabulâ.

*XXV. Syllogismi hypothetici pulchrum exemplum præbet DILEMMA, quod consequens habet disjunctivum.

Si licet concupiscere domum proximi, id venit vel à justitia, vel ab amicitia,

Sed

Sed nec à justitiâ (qvoniam prohibetur in lege) nec ab amicitia (qvoniam alterius intendit damnum) E.

Non licet concupiscere domum proximi.

XXVI. Sufficiant illa cognoscendis syllogismis. Sed opus est, crebris exemplis, regulas in se paucas exerceri. Quamobrem magna REDUCTIONIS est utilitas, non quidem in Logicâ utente, cum progredimur ad disciplinas: attamen in Logicâ docente, cum ejusdem excolimus instrumenta.

XXVII. Est autem REDUCTIO, quæ medium terminum beneficio conversionis aliter collocat, ut in aliam perveniat figuram.

XXVIII. CONVERSIO est, cum Subjectum, enunciationis mutatur in prædicatum, & vicissim ex prædicato sit subjectum salvâ veritate.

XXIX. Ea est 1. Simplex. 2. per accidens. 3. per contrapositionem.

XXX. Simplex eandem retinet Quantitatem & valet in universaliter negantibus, & particulariter affirmantibus.

N. pœnitens luxuriat E.

N. luxurians est pœnitens.

Q. pœnitens plorat E.

Q. plorans est pœnitens.

XXXI. Conversio per accidens ex universali aut particularem.

O. consolatio nititur verbo DEI, E.

O. quod nititur verbo DEI est consolatio.

XXXII. Conversio per contrapositionem eternis finitis facit infinitos.

O. miser exoptat misericordiam; E.

O. non exoptans misericordiam est non miser. See commodius:

Qc. non exoptat misericordiam non est miser.

XXXIII. Jam facilis erit Syllogismorum reductio.

Ponamus exemplum secundæ figuræ.

Qc. statim exaudit precantes non vult probare constantiam.

DEUS vult probare constantiam; E.

DEUS non statim exaudit precantes.

Si enim major convertatur simpliciter, habemus syllogismum primæ figuræ.

Qc. probare vult constantiam, non statim exaudit precantes.

DEUS vult probare constantiam; E. &c.

Ponamus exemplum tertiæ figuræ.

Persecutio corrigit hominem.

Persecutio est molesta; E.

Qc. molestum corrigit hominem;

Minor enim si convertatur simpliciter, habemus primam figuram.

Persecutio corrigit hominem;

Qc. molestum est persecutio E. &c.

XXXIV.

XXXIV. Valet etiam reductio primæ ad secundam.

Q. sentit letitiam spiritualem, non curat afflictionem.

Credens sentit letitiam spiritualem; E.

Credens non curat afflictionem,

Sic enim major convertitur simpliciter.

Qc. curat afflictionem, non sentit letitiam spiritualem,

Credens sentit letitiam spiritualem; E.

Credens non curat afflictionem,

Etiam si Syllogismus affirmativus.

Qui deseritur à DEO, miser est,

Securus deseritur à DEO, E.

Securus miser est.

Aut enim major convertitur per contrapositionem:

Qc. non est miser non deseritur à DEO;

Securus deseritur à DEO: E.

Securus non est non miser.

Aut prædicatum majoris assumitur negativum:

Qc. deseritur à DEO non est felix.

Sic conversus Syllogismus commodius procedet:

Qc. est felix non deseritur a DEO;

Securus deseritur à DEO, E.

Securus non est felix.

De TERMINO.

I.

TERMINUS SIMPLEX est vox, in quam resolvitur propositio, seu qui in enunciatione stare potest loco subjecti vel prædicati.

II. Præcipuum termini requisitum est certa significatio seu notio: quæ est vel prima, vel secunda,

* III. NOTIO PRIMA est cum terminus rem repræsentat, uti ab omnibus cognoscitur.

Hominem vocamus hominem.

Lapidem vocamus lapidem.

* IV. NOTIO SECUNDA est, cum terminus rem repræsentat, prout ab eruditis artificialiter cognoscitur.

Homo vel lapis dicitur subjectum, obiectum efficiens, finis &c.

V. Et respectu enuntiationis terminus est vel **CONVENIENS**, i. prædicatum, quod subjecto additum, enuntiationem facit affirmativam: vel **REPUGNANS** i. prædicatum, quod, subjecto additum, enuntiationem facit negativam.

* VI. Uterq; terminus vel est abstractus vel concretus. **ABSTRACTUS** nudum aliquod denotat adjunctum separatim cogitatum.

Albedo, sapientia, magnitudo.

CON-

CONCRETUS involvit conceptum subiecti & ad-
iuncti conjunctim cogitatum.

Albus, sapiens, magnus,

Rosa est alba s. subiectum quod habet albedinem

Homo est sapiens s. subiectum, quod habet sapi-
entiam.

Elephas est magnus s. subiectum habent magni-
tudinem.

* VII. **CONVENIENS** terminus prædicatur **IN**
QVID h. e. cum responderi debet ad quæstionem
QVID EST? quam habeat naturam s. essenti-
am.

Quid est aurum? R. est metallum.

IN QVALE, cum responderi debet ad quæstionem:

QVALIS EST RES? quæ habeat adjuncta extra
ipsius naturam posita.

*Quale est aurum? R. est rutilum, preciosum
signatum &c.*

VIII. Eadem fere distinctio est, cum terminus
prædicari dicitur

INCASU RECTO, ubi prædicarum refertur in
nominativo.

Rosa est flos

Temperantia est virtus.

IN CASU OBLIQUO, quando prædicatum ex-
primitur per adjectivum vel per verbum.

Rosa est pulchra

Temperantia commendat.

nam si adhibeas substantivum, exprimitur per casum obliquum.

Rosa habet pulchritudinem,

Temperantia habet commendationem.

X. Termini CONVENIENTES explicantur in Doctrina PRÆDICABILIVM: Termini REPUGNANTES in Doctrina TOPICA, & speciatim in LOCO de OPPOSITIS.

XI. PRÆDICABILIA sunt classes terminorum convenientium, quæ locum praticati sustinere possunt in enuntiatione.

XII. Dividuntur autem in quinque classes: habetur enim SPECIES, GENUS, DIFFERENTIA, PROPRIUM, ACCIDENS.

XIII. SPECIES est terminus, quæ de multis individuis prædicatur.

HOMO dicitur de Carolo, Philippo, Jacobo.

CASTITAS dicitur de castitate Josephi, Scipionis, Lucretie.

XIV. Est autem INDIVIDUUM, quod vel nomine proprio, vel pronomine demonstrativo, vel singulari aliquâ circumscriptioe designatur.

Leopoldus.

Hic Princeps, quæ 1658. Francofurti coronabatur.

Ferdinandi III. Filius. sub cuius imperio Turce Viennam frustra tentaverunt,

NB.

* NB. Quoniam individua demonstrari & numerari possunt, dicuntur NUMERO DIFFERRE.

XV. GENUS est, quod de multis speciebus prædicatur.

ARBOR dicitur de ceraso, pruno, piro &c.

METALLUM, de auro, argento, cupro.

XVII. dein terminus diverso respectu vocari potest Genus & species,

ANIMAL dicitur de ave, pisce, quadrupede &c. ergo *AVIS* hoc respectu est

SPECIES. Sed *AVIS* dicitur de gallinâ

passero, lusciniâ &c. quo respectu est *GENUS*.

Sic arbor respectu *Planta* est species; respectu *cerasi*, est genus.

Inde habemus Genus subalternum & Speciem subalternam: quibus opponitur illinc Genus summum, quod nunquam est species: hinc species infima quæ nunquam est Genus.

Vide exempla Prædicamentorum.

XVII. Caterum Genus & species, dum tribuntur inferioribus tanquam termini convenientes, significationem habent aut æqualem, aut inæqualem.

XVIII. Quando significatio est æqualis, terminus superior, qui de inferioribus prædicatur, dicitur *UNIVOCUS*, *SYNONYMUS*.

ARBOR dicitur de piro, de quercu, de abiete &c.

Sed ubiq; prorsus eandem arboris significationem retinemus.

HO-

HOMO dicitur de Petro, Jacobo, Salomone &c.
neque tamen alicui competit hominis prædica-
rum in sensu ignobiliore.

XIX. Quando significatio est inæqualis, ut ter-
minus superior, alteri competat primario, seu in
sensu nobiliori, alteri secundariò, s. in sensu igno-
biliore, dicitur *ANALOGUS*.

ENUNTIATIO est Genus. Affirmativa &
Negativa sunt species: sed nobiliori sensu
dicitur de affirmativâ.

JURISDICTIO est Genus: potestas Principis & potestas inferioris Magistratus sunt
species: sed in sensu prorsus inæquali: nam
nobilior est principis potestas, quàm Magi-
stratum.

XX. Interdum terminus superior apparenter
competit multis inferioribus, cum in omnibus di-
versa sit significatio, & is vocatur *ÆQVIVOCUS* s.
HOMONYMUS.

LEO dicitur de quadrupede, de signo caelesti,
de certo Pontifice.

XX. *DIFFERENTIA* est terminus, qui, adje-
ctus generi, certum constituit speciem, adeoque ex-
plicat ipsam essentiam.

DISCIPLINA INSTRUMENTALIS est
Genus: si accedat differentia, informare
intellectum ad modum sciendi, jam adest
species; *LOGICA*.

MINISTER PRINCIPIS est Genus:

*si adjicias differentiam, jus dirigendi
statum & splendorum aulicum, emergit
species: AULÆ MARESCALLUS.*

*Si adjicias differentiam jus dirigendi Sena-
tum bellicum: emergit species, CONSILII
MILITARIS PRÆSES.*

XXII. PROPRIUM est terminus, quo designa-
tur res extra essentiam posita, sed tamen necessa-
ria.

Communiter haberi dicitur quatuor modos, è
quibus tamen non observamus, nisi duos Proprium
SECUNDI MODI, quod omni, sed non soli com-
petit.

*Homo integer necessario est bipes: sed hoc præ-
dicatum quoque competit avibus.*

Proprium **QUARTI MODI**, quod omni & soli
competit.

*Sic solus homo habet vim admirandi, vim
comparandi, vim ridendi.*

XXIII. Nobiliora propria sunt, quæ demonstra-
ri possunt per differentiam.

VIRTUTIS differentia est conformitas cum
lege divinâ E.

*est laudabilis, bonam parit conscientiam,
sincerum producit amicitiam &c.*

LOGICÆ differentia est modus scien-
di E.

*quæret perspicuitatem, quærit ordinem, re-
pugnat falsitati,*

AC-

XXIV. ACCIDENS est terminus, quò designantur ea, quæ adesse possunt, circa subjecti interitum.

VIRTUS dicitur de divite, de docto, de nobili: neq; tamen desinit esse dives, doctus, nobilis, si virtus de ipso non prædicatur.

LOGICA exercetur à Theologo: neq; tamen desinit esse Logica, si tractetur à JCo.

* **XXV.** Communiter de Prædicabilibus ita judicant Logici:

GENUS ET SPECIES prædicantur in **QVOD** s; in casu recto.

DIFFERENTIA prædicatur in **QVALE QVOD** h.e. essentiam exprimit in casu obliquo.

PROPRIUM & ACCIDENS prædicantur in **QVALE**, s; in casu obliquo.

* **XXVI.** Equidem sunt Prædicata, quæ referri ad quinq; has classes non possunt, adeoque relinquuntur vel Rhetoribus, vel Theologis.

* **XXVII.** Rhetoribus relinquuntur **CAUSALES**: Sedulitas filiorum, Parentum est lætitia.

quasi dicas: affert lætitiã, est causa lætitiæ.

CONCOMITATIVE: Mors antecessoris est promotio successoris.

quasi dicas: Mors habet hoc consequens, ut promoveatur successor.

XXVIII.

XXVIII. Theologi explicant prædicationes INUSITATAS.

*DEUS est homo.**DEUS patitur.**Vinum est sanguis.*

quas, quoniam explicare non licet citra sacrarum literarum auctoritatem, Logica suis regulis parum efficit.

XXIX. Cæterum qui doctrinam Prædicabilium solidè velit tractare, Generis & Speciei notitiam quærat in PRÆDICAMENTIS, in SYSTEMATIBUS DISCIPLINARUM: Differentias & reliqua cognoscat è LOCIS TOPICIS. Et hæc est causa, cur duo nunc consequantur capita.

CAPUT. IV.

DE PRÆDICAMENTIS.

I.

Prædicamenta sunt classes rerum, secundum genera & species dispositarum.

II. Commune vocabulum, quod omnibus rebus comperit, est ENS h. e. participium a verbo ESSE.

III. Inde habet sensum vel PARTICIPIALEM, ut includat tempus præsens, ac id significet, quod jam existit.

Ro mense Junio florens est Ens,

vel

vel NOMINALEM, ut nullas temporis differenti-
as h. e. præfens, præteritum, futurum includat so-
lamqve designet essentiam.

*Rosa, cum mense Decembri nominatur, est
Ens,*

Sic in verbis AMANS aut est, qui jam in
præfenti amat aut idem valet in sensu no-
minali, ac AMATOR, quandocunqve is
amet vel amaverit.

IV. Est autem hoc ENS, vel SUBSTANTIA, quæ
per se subsistit: vel ACCIDENS, quod Substantiæ
tanquam subjecto inhæret, ejusqve velut beneficio
existit.

*Aurum est Substantia: fulger, durities,
frigus, pretium, imago impressa, sunt
accidentia.*

*Vinum est Substantia: color, odor, sapor,
vis confortandi, vis inbriandi, sunt acci-
dentis.*

Et quoniam hic conceptus superior est ipsis Gene-
ribus Prædicamentorum, à Philosophis vocatur
TRANSCENDENS.

* V. Cæterum tres habemus Entium classes; vel
enim sunt Naturalia, vel Moralia, vel Artificia-
lia.

* VI. NATURALIA propriam habent existenti-
am, nec dependent à nostris cogitationibus, & po-
tissimum tractantur in eâ disciplina, quam dicimus
Physicam.

Ar-

*Arbor: ejus fertilitas, foliorum viriditas,
pomorum rubedo vel flavedo &c.*

Leo: ejus potentia rugiendi, sevitia, voracitas, lascivia.

** Etiam virtus & eruditio, quatenus perficiunt facultatem naturalem voluntatis vel intellectus.*

*** VII. MORALIA** s. civilia sunt, quæ propriè non existunt, sed dependent ab hominum opinione & consensu, & tractantur potissimum in politica & Jurisprudentia.

Homo s. Persona habens dignitatem consularem, jus præsidendi in curia, coercendi cives contumaces.

Paterfamilias habens dominium sui prædii, servitutem in vicini fundo, jus colendi agrum &c.

*** VIII. ARTIFICIALIA** sunt res in se naturales, quæ tamen per industriam humanam ad aliam formam pervenerunt.

Cerevisia, panis, culter, poculum, mensa &c.

*** IX. Qvi** multiplicare vellet entium classes, adicere posset quartam, rerum **MYSTICARUM** s. supernaturalium, quæ tractantur à Theologis: & quintam, rerum **INTELLECTUALIUM**, quæ existunt artificio eruditorum: *carmen, syllogismus, oratio, disputatio &c.*

* X. Equidem in Prædicamentis propriè saltem collocantur Naturalia: dummodo reliqvas classes eò reducere liceat per commodam analogiam.

XI. Prædicamenta communiter numerantur decem: SUBSTANTIA, QUANTITAS, QUALITAS, RELATIO, ACTIO, PASSIO, UBI, QUANDO, SITUS, HABITUS.

* XII. Sed aliqua in his sunt PRIMARIA, quæ insignem adhuc in disciplinis utilitatem habent; alia SECUNDARIA sunt, quæ minorem probant commoditatem.

XIII. SUBSTANTIA est, quæ per se subsistit, & subsistat accidentibus, quasi dicas, est fundamentum, quod accidentia continet. Species ejus potiores sunt:

SPIRITUS, quo referuntur Angeli & anime separata.

CORPUS adeoq, omnia animata & inanimata, quæ suas species ulterius inveniunt in doctrinâ physicâ.

XIV. QUANTITAS est accidens, per quod substantia dicitur extensa.

* EXTENSUM est, quod habet partes extra partes.

Arbor crescens novam sibi adjicit partem, ut fiat longior, latior, crassior.

Opponitur INTENSO, quod partes habet intra partes.

Aqua, novam caloris partem recipiens, non fit amplior.

XV. EXTENSIO Quantitatis est
IN LONGITUDINEM, quæ vocatur LINEA:

Sic ductâ lineâ notamus, quàm alta sit arbor.

IN LATITUDINEM, quæ dicitur SUPERFICI-

ES, *Sic observatâ planitie s. latitudine notamus,
quantum sit spatium campi.*

IN PROFUNDITATEM s. crassitiem, quæ alias
vocatur CORPUS mathematicum.

Sic iudicamus, quàm crassa sit arboris stirps.

XVI. Quantitas eo modo extensa vocatur
CONTINUA, quoniam partes coherent; alia est
DISCRETA, cum Substantiæ realiter divisæ nu-
merantur.

Centum oves, centum equi, centum thaleri.

* XVII. Prædicamentum QUALITATIS præ-
cæteris est nobilissimum, si spectetur usus disci-
plinarum.

XVIII. Est autem QUALITAS, accidens, per
quod Substantia formam externam s. denomina-
tionem accipit.

Sic HOMINES discriminis loco vocamus ali-
um *sapientem, doctum, sedulum, stolidum,
rusticum, ignavum, robustum, edacem, ocu-
lis, lingua, memoria valentem, formosum,
rubicundum, pallidum, nigricantem &c.*

XIX. Qualitas verò quatuor habet species:

POTENTIAM ACQUISITAM.

POTENTIAM INNATAM.

OBJECTA SENSUUM.

FORMAM & FIGURAM.

XX. POTENTIA ACQUISITA per crebras actiones, adeoque difficulter mobilis, alio nomine vocatur **HABITUS**: & is, si præcipuas species spectare libeat.

CORPORIS, ubi membra corporis noxam aliquam iuveniunt agilitatem:

Potentia movendi brachium in fabro; potentia celeriter movendi pedes in saltatore, vel digitos in musico &c.

ANIMI, & illi vel **INTELLECTUS**, *Scientia, Prudentia. Ars*: vel **VOLUNTATIS**, *Virtus & vitium.*

XXI. Quando hæc potentia nondum est perfecta: sed demum inchoata, vocatur **DISPOSITIO**: *Sic tyrones habent dispositionem s. qualemcunque facultatem in oratoris, poetis, disputatoris.*

XXII. POTENTIA INNATA s. naturalis est, quæ per ipsam naturam accedit; qualis est **IN ANIMO** potentia iudicandi, eligendi, memorandi.

In CORPORE potentia videndi, audiendi, generandi &c.

* Per analogiam huc referuntur potentia morales; *ius ambulandi per alterius hortum, ius occupandi hereditatem, per emptoris postulandi mercem, ius venditoris postulandi pecuniam.*

Ea

XXIII. Ea potentia est
ACTIVA, secundum quam aliquid potest age-
 re: *potentia calefaciendi in igne; potentia*
loquendi in homine: potentia imperandi in
Principe.

PASSIVA, secundum quam aliquid potest pati
 vel recipere: *potentia sentiendi ignis ca-*
lorem: potentia audiendi alterius sermo-
nem: potentia s. obligatio recipiendi man-
datum principis.

XXIV. Quando hæc potentia nondum est per-
 fecta, vocari solet **IMPOIENTIA**, h. e. debilis po-
 tentia *potentia ambulandi, apprehendendi, conco-*
quendi in infantibus: potentia videndi in catulis
junioribus: potentia protrudendi folia in surculis ar-
borum.

XXV. OBJECTA SENSUUM, vel sunt
EXTERNORUM, *Color & lux, sonus, odor, sapor,*
calor, frigus, mollities, durities &c.
INTERNORUM, omnes affectus, qui reperiuntur
 in appetitu sensitivo: *amor, ira, misericordia*
&c.

XXVI. Vocantur alias **PATIBILES QV ALI-**
TATES, vel si non adeò magnæ sint durationis,
PASSIONES.

Sic affectus subito venientes, subito deservescen-
tes, in Oratorijs communiter vocantur πᾶσι
s. passiones.

XXVII FORMA & FIGURA denotat certam structuram Quantitatis.

Forma pyri, nucis, equi, bovis, passeris, & quicquid a pictoribus atro carbone vel plumbo delineari, vel a sculptoribus referri potest.

Pertinent huc figura mathematicorum: circulares, triangulares, cubicae &c.

Communiter dicunt viventis vocari formam, non viventis figuram.

XXVIII. E tribus his Prædicamentis intelliguntur reliqua.

ACTIO est exercitium potentiaæ activæ, eaque vel **TRANSIENS**, verberare, loqui, vel **IMMANENS**, concoquere, cogitare.

PASSIO est exercitium potentiaæ passivæ: excipere verbera, audire,

XXIX. RELATIO est respectus duarum Substantiarum, quæ fundamentum hujus habitudinis inveniunt.

IN SUBSTANTIA. Carolus & Johannes se mutuo respiciunt quoad eandem humanitatem.

IN QUANTITATE, Ulna & pannus ejusdem longitudinis se respiciunt quoad equalitatem.

IN QUALITATE, Lac album & nix alba; Augustinus eruditus & Lutherus eruditus, se mutuo respiciunt quoad similitudinem.

In

In ACTIONE & PASSIONE. Sic Pater generans & Filius generatus; Præceptor docens, auditor discens; emptor pecuniam offerens, venditor accipiens, se mutuo respiciunt.

At mutuo se respiciunt, quæ se invicem exponunt, s. declarant, ut unô posuô & cognitô ponatur & cognoscatur alterum.

XXX. Hujus autem generis *RELATA* sunt *ÆQVIPARENTIÆ*, quæ idem utrinque habent nomen: *Vicinus, collega, commilito, frater &c.*

DISQVIPARANTIÆ, quæ diversis utrinque nominibus designantur: *Pater-filius, Princeps-subditus, Emptor-venditor.*

* XXXI. Sunt enim *Relata*, quæ dicuntur *TRANSCENDENTIALIA*, ac exprimi solent terminis in doctrinâ topicâ usitatis.

Causa respicit effectum, pars respicit totum, Subjectum respicit adjunctum. Vide Cap. seq.

* XXXII. Reliqua Prædicamenta non adeò magnam habent necessitatem.

UBI est denominatio Substantiæ in loco: *Iohannes est in templo, in foro.*

QUANDO est denominatio Substantiæ à tempore: *Johannis est hodie, fuit heri.*

SITUS est denominatio Substantiæ, quatenus partes corporis vario modo se disponunt, e.g. sedere, procumbere, jacere pronum vel supinum.

HABITUS est denominatio substantiæ, quatenus externum tegumentum admittit, e. g. esse togatum, sagatum &c.

C 4

Hac

*XXXIII. Hæc de Prædicamentis. Sed quoniam Logica suis generibus & speciebus nondum satisfacit omnibus Disciplinis, ad consummandam hanc doctrinam faciunt Disciplinarum Systemata, quæ species suas elegantissimè disponunt: ut rectè dici queat; QVOT SUNT DISCIPLINÆ, TOT SUNT PRÆDICAMENTA s. generum & specierum classes. Interimne turbetur regularum cursus, sub finem hujus Nuclei subjicietur Mantissa, quæ totam rem clarius exponat.

CAPUT V.
DE LOCIS TOPICIS.

I.

LOCI TOPICI considerantur, vel quoad cognitionem, vel quoad applicationem.

II. Quoad cognitionem considerati, sunt classes terminorum artificialium, quibus eruditi conceptus suos vel dirigunt vel exprimunt.

III. Quoad applicationem considerati, sunt sedes argumentorum, quibus affertur ratio, cur prædicatum aliquod insit, vel inesse credatur subjecto.

VI. Prior consideratio hujus est loci: posterior pertinet ad partem practicam, præsertim ad doctrinam de demonstratione,

Nu-

V. Numerus Locorum Topicorum hic est quem
 è Tabulâ nostræ Logicæ libet repetere,

LOCI TOPICI curant,

REI NOMEN *in loco* Notationis,

REM IPSAM, cujus respectu Loci sunt

INTERNI s. CONJUNCTI.

Definitionis & Descriptionis,

Generis & speciei,

Totius & Partium,

Causarum.

Externarum Efficientis & Finalis,

Internarum Materialis & formalis,

Effectorum,

Adjunctorum & Circumstantiarum,

EXTERNI s. DISJUNCTI.

Comparatorum,

Oppositorum,

Exemplorum & Testimoniorum,

NB. Interni s. Coniuncti Loci vocantur, quæ rem
 ipsam attingunt; Loci Externi & disjuncti,
 quæ per intellectum nostrum qualitercunq;
 ad eandem referuntur.

LOCUS NOTATIONIS.

VI. Versatur circa interpretationem & al-
 terationem nominis. Ac potissimum captatur

ETYMOLOGIA s. derivatio nominis: *Po-
 liticus derivatur à Græco πόλις, quasi dicas
 hominem civitati s. Reipubl. consecratum.*

SYNONYMIA, quæ vocabula ejusdem si-
 gnificationis observat: *Politicus alio no-
 mine dicitur Vir civiliter prudens, Senator*

Co,

C s

HO

HOMONYMIA, quæ diversam vocabuli significationem observat; *Politicus aliquando denotat hominem in vestibus & moribus elegantie studiosum.*

VII. Locus DEFINITIONIS & Descriptionis reservatur ad Partem practicam.

VIII. Locus GENERIS & SPECIEI jam explicatur in Prædicabilibus.

LOCUS TOTIUS & PARTIUM.

IX. TOTUM est, cujus nulla pars deest; *Totus homo.*

PARS est, quod ad constitutionem totius aliquid contribuit; *manus hominis.*

1. Totum est

ESSENTIALE, quod habet partes, quas vocare solemus essentielles, materiam & formam s. genus & differentiam.

Homo totus habet corpus & animam.

Mensa tota habet lignum & formam s. dispositionem.

Rex totus est persona habens majestatem.

INTEGRALE, quod omnia habet, quæ ad externam perfectionem & commoditatem ordinata sunt.

Homo totus est, cui non deest pes, manus, nasus, auris.

2. Partes Totius integralis sunt

Homogeneæ s. sibi similes: *in dolio vini guttæ.*

Heterogeneæ s. sibi dissimiles: *in homine cutis, caro, cartilago, muscoli, ossa.*

Lo-

LOCUS CAUSAE EFFICIENTIS.

X. Causa EFFICIENTIS est, unde venit actio.

Dum ad causas progredimur, varias afferemus distinctiones, tum in doctrina morali, tum in oratoria maximè commodas. Interim id patebit, esse; distinctiones sibi multum affines, quæ tamen vel utilitatis vel consuetudinis causa proferuntur separatim.

Est autem hæc causa

1. **NECESSARIA**, quæ positis omnibus ad agendum requisitis non potest non agere:
Ignis stramini suppositus necessario comburit.

LIBERA, quæ positis omnibus ad agendum requisitis potest non agere, seu actionem intermittere.

Homo positus omnibus ad proficiscendum requisitis habet libertatem contradictionis s. exercitii, potest proficisci & non proficisci: habet libertatem contrarietatis s. specificationis, potest proficisci curru, equo, pedibus &c.

2. **PRINCIPALIS**, quæ agit virtute propria:
scribarius mensam conficiens: Eques equo proficiscens: Princeps legem constituens.

INSTRUMENTALIS, quæ dirigitur virtute alienâ, vel absolutè, ut *serra scribarii, vel ut cooperetur: equus in itinere, magistratus in executione legum.*

Alio

Alio nomine vocatur **SUBORDINATA** s. **DEPENDENS**, & quando instrumentum est agens rationale, commodius dicitur causa **MINISTERIALIS**.

3. **Principali** quoque opponitur causa **IMPULSIVA**, quæ non attingit effectum, sed vel agentem **MOVET**, vel **OCCASIONEM** agendi præbet.

Paterfamilias dans eleemosynam est causa principalis: Amicus intercedens causa impulsiva: accessus clientis est occasio. Sic morbi causa est malus humor: movens, crudus cibus: occasio prava tempestas.

Sic Belli causa est Princeps vel ambitiosus vel à vicino timens, impulsiva vicinus injuriam inferens: occasio paratus exercitus vel alterius securitas.

4. **PRODUCTIVA**, quæ effectum sistit: **Politicus instituens temp.**

CONSERVATIVA, quæ effectum reddit constantiorem vel meliorem: **Politicus temp. conservans, defendens, amplificans.**

5. **PROXIMA**: **Præceptor** (vel etiam ejus eruditio & sedulitas) informans discipulum.

REMOTA: **Parens** qui præceptorem constituit.

6. **TOTALIS** s. solitaria: **equus**, qui currum trahit solus.

PARTIALIS s. socia; **duo equi junctim trahentes.**

7. **PHYSICA**, quæ actione sua attingit effectum: *fodiens agrum, scribens literas, alterum verberans.*

MORALIS, quæ aliquid agit, ut ipsi queat imputari effectus: *qui iussit, qui rogavit, qui ostenso lucro permovit, qui occasionem præbuit, qui coëgit alterum ut faceret.* convenit omnino cum causâ impulsivâ.

8. **PER SE**, quæ habet actionem & intentionem: *Latro occidens hominem.*

PER ACCIDENS, quæ vel habet actionem sine intentione: *Lignator feriens hominem à tergo:* vel habet intentionem sine actione: *aperiens valvas, ut illuminetur conclave.*

Quando nec adest actio nec intentio, vocari non potest causa, quod imperiti faciunt, sed **CONDITIO SINE QVA NON**. Nisi pater filium misisset in scholam, in via potuisset labi.

9. Ad causam per accidens aliquando refertur causa **DEFICIENS**. *Quod parens filio non misit pecuniam, causa est vite modestioris: Quod vigil non observavit civitatem, causa est incendiî latius sparsi, Quod paterfamilias non clausit fores, est causa furti.*

LOCUS CAUSAE MATERIALIS.

XI. Materia est vel **EX QVA**, vel **IN QVA**, vel **CIRCA QVAM**.

MA:

XII. Materia *EX QVA*, maximè deprehenditur in naturalibus & artificialibus; *ex sulphure & argento vivo fit aurum; ex auro fit poculum*, est verò.

1. Permanens, *ex linteamento fit indusium.*
Transiens, *ex linteamento fit charta.*
2. Proxima, *lateres respectu muri.*
Remota, *lutum unde fiunt lateres, respectu muri.*

XIII. Materia, *IN QVA* recipitur aliquid, alio nomine vocatur *SUBJECTUM*, quippe quòd in se recipit aliquod *ADJUNCTUM* s. prædicatum.

Ast Subjectum est.

1. *ACCIDENTI* substantia cui inhæret :
Eruditionis subjectum est homo, Coloris paries, Majestatis Princeps.

SUBSTANTIÆ locus ubi reperitur :

1. *Equi subjectum est stabulum, studiosi museum.*

2. *COMMUNE*, s. totum illud in quo aliquid existit.

PROPRIUM s. ipsa pars, in quâ illud existit

Eruditione existit in homine, sed propriè in intellectu.

Studiosus est Lipsia, sed propriè in museo.

XIV. Materia, *CIRCA QVAM* aliquid versatur, alio nomine dicitur *OBJECTUM*,

Corium est objectum s. materia sutoris.

Resp. est s. bjectum s. materia Politici.

1. **MATERIALE** s. ipsa res

FORMALE id ipsum cuius respectu potissimum res tractantur.

Corium est Objectum materiale sutoris, sartoris, ephippiarii &c.

Sed aptitudo corii ad recipiendam formam calcei, est Objectum formale sutoris.

Aptitudo ad recipiendam formam thoracis vel caligarum, sartoris; aptitudo ad ephippium, ephippiarii &c.

Sic intellectus est Objectum materiale Logici: sed aptitudo ad recipiendam modum sciendi, est Objectum formale.

2. **ADÆQUATUM** s. totale: Intellectus informandus in universâ eloquentia est Objectum Oratoria.

INADÆQUATUM s. parziale Intellectus informandus ad Chriam.

3. In negotiis humanis Objectum sæpe habemus,

REALE & PERSONALE: Liberalitatis objectum reale est pecunia, personale homo pecuniam accipiens.

LOCUS CAUSAE FORMALIS.

XV. **FORMA** est id, quod rem constituit, & ab aliis rebus distingvit, quasi dicas, est id, unde nobilior veni: differentia. Sed est tamen,

1. **ESSENTIALIS**, quæ rem ipsam constituit.
ACCIDENTALIS, quæ rem extrinsecus
 afficit, alioque nomine vocatur **ADJUN-**
CTAM.

*Forma poculi essentialis est labrum, quod re-
 cipere solet potum, & fulcrum s. manubri-
 um: sed forma accidentalis est ornatus ful-
 cri, & artificium labri, vel instar rose, pyri,
 aut uæ dispositum.*

*Forma Principis absoluti est Majestas s. jus
 imperandi: forma accidentalis est coronatio,
 acclamatio, felicitas, potestas &c.*

2. **Correlatum causæ formalis sæpe est cau-
 sa NORMALIS s. exemplaris. Virtutis
 norma est lex divina: pictoris norma est
 faciens hominis: sartoris norma est hominis
 corpus. Inde etiam quando agens versa-
 tur circa talem normam, non incommo-
 dè vocatur **OBJECTUM NORMA-**
LE.**

LOCUS CAUSÆ FINALIS.

XVI. FINIS est, propter quem aliquid est, s.
 qui agentem impellit.

1. **ULTIMUS**, quo impetrato cessat actio: *epi-
 stola scripta cessat actio.*

INTERMEDIUS, qui respicit ulteriorem a-
 ctionem: *pennâ temperata, vel charta
 composita, qua concipi debet epistola, non-
 dum quiescit.*

PRI-

2. PRIMARIUS s. nobilior, qui per se movet agentem.

SECUNDARIUS 1. ignobilior qui occasione primarii movet agentem.

Paterne societatis finis primarius est educatio sobolis, secundarius adjutorium domesticum.

Creationis finis primarius est gloria Dei, secundarius felicitas creaturarum.

2. INTERNUS ipse effectus, qui est in potestate agentis: *Architectus in potestate habet aedificii structuram.*

EXTERNUS s. usus effectum consequens, qui non est in potestate agentis: *Architectus efficere non potest, ut aliquis inhabitet, vel eius commoditatem depradicet.*

4. ACTIONIS: *eruditio respectu studiosi.*

AGENTIS: *Promotio & gloria studiosi.*

IMPELLENTIS: *Letitia respectu Parentis.*

Sic architectus agit ut fiat aedificium, ut ipse nanciscatur mercedem vel gloriam, ut inhabitet Paterfamilias.

NB. *Causa impulsiva sic distinguitur à Fine. Illa verè operatur, dum agentem impellit, hic non agit, sed metaphoricè impellit placendo. Inde efficiens dum in fine concupiscet bonum sibi conveniens, velut semetipsam impellit.*

3. Finis CUI s. subjectum cui aliquid introduci-
tur: *Præceptor est propter discipulum.*

Finis CUJUS s. adjunctum cujus introducendi gratiâ laboratur: *præceptor est propter conditionem discipuli.*

FINIS CUI est, ut aliò respectu loquimur, Objectum materiale, **CUJUS** objectum formale.

6. EFFICIENDUS, qui non adest ante actionem: *carmen respectu Poetæ, domus respectu adificantis.*

OBTINENDUS, qui jam adest ante actionem: *carmen respectu Lectoris, domus respectu emptoris.*

Est etiam aliquis **Finis**, qui consistit, ut ita loquar, in **REMOTIONE**, e.g. Medicus versatur circa malos humores, ut corrigat & removeat.

LOCUS EFFECTORUM.

XVII. Diverso respectu eadem res dici potest **FINIS**, **OBJECTUM**, **EFFECTUS**, Quoad **INTENTIONEM** dicitur **Finis**, quoad **TRACTATIONEM** **Objectum**, quoad **EXECUTIONEM**, **Effectus**. *Inde unius Loci distinctiones facile applicantur ad alterum.*

Effectus autem seu opus efficientis est

1. UNIVOCUS, qui est ejusdem naturæ cum efficiente: *Filius est effectus Patris: discipulus Philosophus effectus Magistri philosophi.*

ÆQVIVOCUS, qui diversæ est naturæ: *Animal generatur à Sole; Nobilis creatur ab imperatore.*

Qui

2. QVI **INIENDITUR** ac convenit cum fine: effectus symposii est levatio sitis, & mutua sodalium hilaritas.

qvi **CONSEQUITUR** ex ipso quidem hoc antecedente, sed præter intentionem agentis: effectus symposii sunt, ebrietas, lites, concertationes, erapula, contemptus, multa &c.

Sic Princeps alienum occupaturus territorium præter intentionem amissionis suam, consiliorum effectus dicit hanc jacturam.

Alio nomine diceres Effectum **PER SE** & **PER ACCIDENS**.

3. **PERMANENS** qui cessante actione durat.

Architecto cessante, quin & mortuo manet domus.

TRANSIENS qui cessante actione perit: Saltatore quiescente totus ejusdem cessat effectus.

LOCUS ADIUNCTORUM, & Circumstantiarum.

XVIII. Adjuncta sunt externa accidentia **RE-
RUM**, quæ in prædicabilibus dicuntur propria vel accidentia:

*Absinthii adjuncta sunt albicans viriditas, amaritudo, vis confortandi ventriculum: item proceritas, locus extra vel intra hor-
tum &c.*

PERSONARUM, quæ sunt

Animi. *Virtus, solertia, eruditio.*

Corporis. *Robur, pulchritudo, sanitas.*

Fortunæ. *Nobilitas, divitiæ, honor, amicitia, &c.*

ACTIONUM, quæ explicantur per Circumstantias

HISTORICAS, h. e. per antecedentia, concomitantia & consequentia.

RHETORICAS, h. e. per argumenta ab honesto & turpi, ab utili & damno, à jucundo & molesto, à necessario & superfluo &c.

MORALES, quæ continentur in versiculo:

*Quis? Quid? Ubi? Quibus auxiliis? Cur?
Quomodo? Quando?*

LOCUS COMPARATORUM.

XIX. Maximè conducit Oratoribus. Sunt autem Comparata duo Subjecta diversa, quæ conveniunt in uno Prædicato.

1. PROXIMA s. similia: *Quod Lipsie fuit Cameraarius, Wueberga fuit Melanchton.*

REMOTA s. allegorica. *Ut petra dat fundamentum aedificii: sic Christus nostræ fidei.*

2. POSITIVA: *ut se habet pastor ad gregem: sic se habet rex ad populum.*

NEGATIVA: *non ut se habet mercenarius ad gregem, sic se habet rex ad populum.*

Lo-

LOCUS OPPOSITORUM.

XX. Opposita sunt, quæ in uno subiecto stare non possunt: eaq; vel accipiuntur latè, ut includant ea, quæ secum non pugnant, ut **DISPARATA** *Homo, Lapis*, vel strictè, pro iis quæ secum pugnant

CONTRARIE, quæ mutuo se expellunt: *calor frigus, virtus vitium, dulcedo amaritudo &c.*

PRIVATIVE, quando fibimet opponitur potentia, quæ debet adesse, cum ejus absentia:

Homo debet habere visionem & auditum: ergo absentia harum potentiarum, coecitas vel surditates, opponuntur privativè.

Rusticus non debet intelligere leges, ergo hujus cognitionis absentia opponitur negativè s. disparatè: at promotus Doctor scire debet: inde ignorantia ipsi opponitur privativè.

RELATIVE, quæ se mutuo inferunt, sed tamen junctim in uno subiecto stare non possunt: *Pater filius, Maritus-Uxor, Dominus-Servus.*

CONTRADICTORIE, quæ termino ab altera parte præfigunt particulam **NON**: *Homo, non-Homo.*

XXI. **LOCUS EXEMPLORUM & TESTIMONIORUM**, quoniam ab experientia potius dependet, quàm à judicio, utrinque dicitur inartificialis; & aliqua proferuntur

Cum auctoritate: *Christus orat.*

Sine auctoritate: *Machiavellus simulat.*

CAPIT. VI.

De

APPLICACIONE

Instrumentorum Logicorum.

L

Logica nos informat ad modum sciendi; sed perfectum hunc modum assecutus est, qui dicit

1. Rem cognoscere.
2. Cognitionem aliis communicare.
3. Aliorum cognitionem interpretari.
4. Adversariorum opiniones examinare.

II. Inde quatuor veniunt consideranda, **COGNITIO, METHODUS, INTERPRETATIO, DISPUTATIO.** De singulis seorsim.

DE RERUM COGNITIONE.

III. Ad cognitionem tria requiruntur: **DEFINITIO, DIVISIO, DEMONSTRATIO.**

IV. **DEFINITIO** est Oratio explicans naturam

I. **PRIMARIA**, quæ affert Genus & differentiam; *Temperantia est virtus, quæ mediocritatem observat circa cibum & potum.*

SECUNDARIA s. **DESCRIPTIO**, quæ loco differentiae affert Propria vel accidentia; *Temperantia est virtus sanita-*

si & promotioni conducens, cujus optimum specimen editur convivio.

2. **BREVIOR**, quæ ad unum Topicæ locum respicit.

ad **OBJECTUM** in Habitibus: *Politica est prudentia Reip. bene administranda.*

ad **ADJUNCTUM** f. Jus in Personis moralibus: *Consul est Persona publica habens jus presidendi in Senatu.*

ad **EFFECTUM** in Sensibilibus: *albedo est color disgregans visum.*

PROLIXIOR, quæ differentiam petit è multis locis.

METALLUM est corpus perfectè mixtum (Genus) ex sulphure & argento vivo mixtis & temperatis (materia) in terra visceribus natum (subiectum) virtute externâ siderum & internâ ignium subterraneorum (efficiens) durum, sonorum & apium liquefere (adjuncta) inserviens potissimum usibus fabrilibus (finis.)

FURTUM est contrectatio fraudulenta f. actio hominis fraudulenter contrectantis (efficiens) rei aliene (objectum) invito domino (forma) lucrificandi gratia. (finis.)

Videantur definitiones disciplinarum.

Ex his autem patet, Definitionis requisitum esse, ut sit perspicua & notior definitio, nec aliis præter definitum competat.

V. DIVISIO est ratio, quæ totum in suas partes distribuit. ea est

DEFINITI in genus & differentiam s. in materiam & formam.

TOTIUS in suas partes.

GENERALIS in suas species.

SUBSTANTIÆ in diversas denominationes respectu accidentium,

OMNIUM RERUM per Locos Topicos.

Sic enim Bellum dividi potest, respectu

EFFICIENTIS, quod geritur à Principe, vel à Rep.

IMPULSIVÆ, quod geritur vel ex ambitione, vel ob alterius injuriam.

OBJECTI, cum Christianis, aut cum infidelibus.

SUBJECTI, in patriam vel extra patriam: vel mari, vel terrâ.

FORMÆ, vel dolo vel virtute, vel obsidionibus vel præliis.

FINIS, vel pacis, vel gloriæ causâ, vel occupandæ vel vindicandæ gratiâ.

ADJUNCTORUM, felix infelix, laudabile vituperabile.

In omni verò divisione cavendum, ne membra sint nimis multa, nec aliqua pars omittatur, vel in altera parte comprehendatur.

VI. DEMONSTRATIO est oratio, quæ certam, evidentem & necessariam causam affert, cur prædicatum seu, ut hic vocatur, Affectio insit subjecto, Ergo hic considerantur.

PRINCIPIUM s. causa, quam in Oratoriis vocamus ætiologiam, in Logicis medium terminum; adducto enim tali principio, fidem habere propositioni incipimus: Qc. eruditionem adjuvat est laudandum.

PRINCIPIATUM, h. e. propositio, quæ in Oratoriis vocatur Protasis, in Logicis conclusio: *Logica est laudanda.*

VII. Ipsa vero Demonstratio est,

1. **INDIRECTA**, quando non ostenditur causa, cur conclusio sit vera sed absurditas, quæ sequeretur, nisi haberemus pro vera; *Si Principes non sunt honorandi, sequeretur tot seculis meros vixisse stolidos, qui regulam in se falsam inculcaverint.*

Pertinet huc demonstratio à TESTIMONIO; quæ non expressa causa, sed alterius auctoritate nititur. Qc. Deus dixit verum est.

Qc. in legibus continetur justum est.

DIRECTA, quæ causam allegat: *Principes sunt honorandi: nam publicè benefaciunt ac habent honoris merita.*

2. **A PRIORI**, ex causa probat effectum: *ignis est in culina, ergo fumus prodit e camino. Virtus convenit cum lege Dei, ergo parit bonam conscientiam.*

A POSTERIORI, quæ ex effectu probat causam: *fumus prodit e camino, ergo ignis.*

D. S.

ignis.

ignis est in culina, Virtus parit bonam conscientiam, ergo convenit cum lege Dei.

VIII. Optimum Demonstrationis subsidium est Definitio. *Vide quid de propriis & differentia demonstrandis dictum sit pag. 29. vel quoniam definitio coalescit & Locis Topicis, ad eam quoque recurritur doctrina. Si enim examinato secundum Locos subjecto & prædicato utriusque convenientia vel discrepantia cognoscatur, jam in promptu sunt probationes, e. g.*

QUI VIRTUTEM COLIT HOMINUM EST AMICUS;
Caus. Effic. *nam virtus provenit ab amore DEI beneficientis: ergo non negliget homines, quibus Deus vult benefacere.*

Object. *Virtus corrigit omnes affectus: ergo etiam invidiam & odium, quæ impediunt amicitiam.*

Form. *Virtus consistit in rectitudine secundum regulam rationem: ergo iubente ratione, quod sibi vult fieri, alteri faciet.*

Affect. *Virtus affert animi tranquillitatem, ergo singulos extra se cupiet esse tranquillos.*

GARRULITAS NOCET POLITICO.

Effic. *Venit ab incautiâ & imprudenti temeritate: ergo nocet illi, qui debet esse prudens.*

Object. *Prodit consilia reticenda: ergo nocet illi, cuius optima virtus dissimulatio.*

Form.

Form. Excedit in captanda per sermonem amicitia: ergo nocet illi, cuius optima virtus est loquendi moderatio.

Effect. affert contemptum & ineptæ simplicitatis opinionem: ergo nocet illi, cuius optimum fundamentum collocari debet in existimatione.

IX. Communiter distingvi solet in rationem **DEMONSTRATIVAM** s. necessariam: est fortis: nam confidet Deo; **TOPICAM** s. probabilem: est fortis: nam patrem habuit fortem; **SOPHISTICAM** s. fallacem: est fortis: nam nunquam fugit hostem, fultet quem nunquam vidit.) Sed facile patet, priorem semper optari; alteram in casu necessitatis tolerari; tertiam velut puerilem s. malitiosam explodi:

DE TRIBUS CAETERIS ARTIFICIIS.

X. Uno vocabulo dicere possemus **INTERPRETATIONEM**. Aut enim interpretamur conceptus nostros: unde, qui ordine & perspicue singula proponunt, **DONUM** habere dicuntur **HERMENEUTICUM**: aut alterius sermonem, aut adversarii objectiones. Quia tamen receptum est, ut illam vocemus **METHODUM**, istam **INTERPRETATIONEM** speciatim sic dictam, non est, cur ab eâ denominatione discedamus.

DE METHODO.

XI. Methodus est artificium disponendi res cognitæ, quas alii discere à nobis cupiunt, & est vel **Universalis** vel **Particularis**.

Me

VII. Methodus UNIVERSALIS digerit totam disciplinam, ejusq; disponit *PRINCIPIA & PRINCIPIATA*. Quamobrem est

SYNTHETICA, quæ positis principiis progreditur ad principiatum h. e. ad Subjectum & affectiones, *Theologia primum agit de principio, de Sacra Scriptura: postea a Deo, cujus essentiam & voluntatem, præsertim erga homines, è Scripturâ demonstrat.*

ANALYTICA, quæ positò principiato, h. e. Subjecto & Fine, qui subjecto debet introduci, progreditur ad principia s. media, quibus positis acquiritur finis: *Politica curat principiatum, Rempubli- cam velut Subjectum, Felicitatem ut finem, tandem principia, Leges & Consilia.*

XIII. Methodus PARTICULARIS versatur circa partem disciplinæ, adeoque respicit certum *THEMA*, quod vel est *SIMPLEX*, vel *CONJUNCTUM*, vel *MIXTUM*,

XIV. Thema *SIMPLEX* est nudum vocabulum, cujus explicatio suscipitur: *dicendum est de Bello, & id quidem theoreticè vel practicè.*

XV. *THEORETICE* cum thematis intenditur notitia, per quæstiones

PROEMIALES An sit? *an detur bellum? an dari debeat inter Christianos.* Quomodo vocetur? *bellum quasi unanime bellum, seu idem ac duellum.*

ESSENTIALES, Quid sit? & Quotuplex sit?
vide quæ supra minimus de Definitione & Divisione.

NB. 1. Definitio tractari potest dupliciter: Synthetice: cum positis partibus, causis, adjunctis, contrariis, definitio tandem componitur. Analitice: cum posita definitione singularum membrorum distincta sequitur explicatio.

NB. 2. Quando thematis loco habemus personam, sufficit describere adjuncta fortunæ & animi: Patriam, Parentes, educationem, specimina, promotionem, amicos, matrimonium, liberos tandem mortem & superstitem famam, sic enim patet, QUID & QVOTUPLEX ea sit.

XVI. PRACTICE tractantur, cum usus & prudentia rei perpenditur, inde occurrit

FINIS, Cur sit bellum?

MEDIA, Quibus consiliis, militibus, comitatibus, armis, fœderibus geratur.

NB. Quomodo Rhetores ab honesto, utili, secundo, facili, necessario, procedant, alibi dictum est.

XVII. Thema CONJUNCTUM est integra propositio s. quæstio: an bellum geri possit adversus Christianos? Ubi

Explicantur termini: quid sit bellum? qui Christiani? quid sit gerere bellum?

Formatur status controversiæ: an aliquis à Christiano laesus, cum aliter constare nequeat securitas, gerere possit bellum?

Præ

Præsupponuntur principia: *Principi competit defensio: sine defensione corrui Resp.*

Resolvitur quæstio, à natura Subjecti: *bellum est actus iustitiae: ergo non dedecet Christianos; à naturâ prædicati: Christianus amare debet proximum: ergo impedire potest eos, qui amoris leges aperte violant.*

Refelluntur objectiones: *Christianis prohibita est vindicta: sed privata, non publica.*

XVIII. Thema MIXTUM in se quidem est simplex, sed in progressu variis Consecrariis ansam suppeditat.

XIX. Est autem *CONSECTARIUM*, aliò nomine *PORISMA* s. *USUS* Propositio, quæ medium terminum petit ex antecedente tractatione.

DOCTRINALE, quæstio certæ disciplinæ positivum: *ergo bellum potest geri à solo principe: quoniam est principale medium conservandæ reip.*

polemicum s. *elencticum*: *ergo errant fanatici, quibus omne bellum videtur injustum: nam datur causa iusta.*

MORALE, quæstio vitæ

positivum s. *prædictivum* vel *paraneticum* svadendæ virtutis: *ergo subditi fortiter sequantur principem: nam sub hoc negotio versatur salus publica.*

negativum s. *epanorthoticum* dissuadendi vitii: *ergo temere alter non est ledendus: quia satisfactio tam est periculosa,*

CONSOLATORUM quaestio ferendæ fortunæ.

quid patiendum: *ne desperemus: principia
pena habemus Deo gratum.*

quid sperandum: *sequetur aliquando pax.*

XX. Utriusque methodi regulæ sunt:

1. *Ut notiora & faciliores precedant, difficiliora sequantur.*

Inde Logica nostra non attendit ORDINEM
NATURÆ in doctrinâ termini enunciati-
onis, sed ORDINEM DOCTRINÆ.

2. *Ut superflua prorsus omittantur.*

Hinc in definitionibus & divisionibus non attin-
gimus omnes locos topicos, unde quicquam
erui posset, sed eos tantum, quos in illu-
strando themate iudicamus necessarios.

DE INTERPRETATIONE.

XXI. INTERPRETATIO est artificium, as-
sequendi alterius doctrinam: *ergo in se nihil aliud
est, quam iudicium de alterius methodo.*

XXII. Duo tamen sunt, quæ ab interprete cu-
rantur *SENSUS & VERITAS.*

XXIII. VERITAS est convenientia principio-
rum & principiatorum: quam nemo cognoscet,
qui disciplinam, quorsum thema pertinet, non er-
tractaverit.

Utinam aliqui Logicæ primarium opus non sta-
tuerent speculationem de VERITATE
PROPOSITIONUM: sic enim Logica non
est disciplina instrumentalis, sed Principalis.
Et felicissimi semper sunt, qui præsuppon-
unt principia. Theologi SCRIPTURAM,
Jcti LEGES, Medici EXPERIENTIAM.

SEN-

XXIV. SENSUS sermonis eruitur

GRAMMATICÆ, num vocabulorum sensus

1. literalis & proprius, vel improprius & tropicus. Sensus autem literalis negligi non debet, nisi svadeat necessitas. *Sed necessitatis hic est canon: Talia sunt subjecta, qualia permittuntur esse à suis prædicatis: & talia sunt prædicata, qualia permittuntur esse à suis subjectis: Christus est petra: Subjectum non permittit, ut prædicatum accipiat proprie.*

2. pure grammaticus & consvetudinarius s. politicus. *Ubi valet regula.* In vocabulis non spectatur etymologia, sed usus: *doctissimus non est, qui ceteros superat, sed qui vixit in academia.*

3. latus & strictus. *Ubi valent regula: Verba accipiuntur cum effectu. Si dedisti decem dierum inducias, intelligitur late, ut simul comprehendantur noctes.* Analoga sine addito stant in significatione famosiore: *Princeps absolute nominatus, strictè notat monarcham.*

LOGICÆ, quibus argumentis constet subjecti & prædicati convenientia, Sunt autem ea argumenta.

EXPLICANTIA, que subjecti & prædicati geminum sensum, veramq; naturam exhibent.

PROBANTIA, que subjecti & prædicati connexionem ostendunt:

MA-

AMPLIFICANTIA, quæ utriusq; proprietates & circumstantias ad intelligendam melius connexionem ulterius indagant.

ILLUSTRANTIA, quæ Locos topicos externos adhibent, contrariorum, comparatorum, exemplorum, testimoniorum.

RHETORICE, quibus affectibus vel moribus constat inventio, quibus membris & singularibus amplificationibus dispositio, quibus elegantis & figuris elocutio.

XXV. Cæterum Rhetorica non solum valet interpretando, sed interpretandi hoc artificium explicando per Methodum.

NATURALEM, cujus hæc est regula: *Quot in sermone sunt notabilia, tot sunt partes.*

ARTIFICIALEM, quæ sic procedit: *Tot sunt partes, quot sunt vel subjecta, vel predicata, vel determinationes, vel argumenta.*

DE DISPUTATIONE.

XXVI. **DISPUTATIO** est opinionum contradictoriarum collatio, eruendæ veritatis causa, & vel suscipitur in **SCRIPTO**, vel in **COLLOQUIO**.

XXVII. De Scripto non est cur multa monemus: digeritur enim secundum methodum thematici conjuncti.

XXVIII. **COLLOQUIUM** instituitur inter duas Personas.

OPPONENTE M; cuius officium *Statum controversie formare; Syllogismum afferre, cuius conclusio contradicat thesi; premissas, si voluerit respondens, probare; sponsonibus semel datis denuo instare, h. e. aliquid ex hac responsione in dubium vocare; ab ineptis sophismatibus abstinere.*

RESPONDENTEM, cui in subsidium aliquando venit **PRÆSES;** cuius officium *Objectionem assumere vel repetere; Probationem exigere; Responsionem formare indirectam, quæ solam ostendat conclusionis falsitatem; directam, quæ falsitatis rationem probari vel negando & intervertendo, vel distingvendo & limitando.*

XXIX. Distingvendi & limitandi subsidia præstant

CANONES, quos in Metaphysica habemus limitatos.

Qualis causa, talis effectus.

Causa causæ est etiam causa causati.

Qui vult finem, vult etiam media. &c.

DISTINCTIONES s. termini, quibus diversi conceptus exprimuntur.

REALES è disciplina principali.

Peccatum originale, actuale,

Tutor testamentarius, legitimus & dativus.

Salvia major & minor.

INSTRUMENTALES è Logicâ,

Absolutè respectivè, confusè-determinate, formaliter-materialiter, implicite-explicite, late-strictè &c.

MAN-

MANTISSA.

DE
PRÆDICAMENTIS DISCIPLINARUM.

I.

Supra dictum est, tot haberi generum & specierum classes, quot numerantur disciplinæ: quod quia ratione debeat intelligi, nunc expediemus.

II. Etenim Logica dum constituit Prædicamenta, non exhaurit res omnium disciplinarum: sed luculento saltim exemplo præire voluit, ut cognitis generum & specierum dispositionibus, quid ubique fieri debeat, intelligeretur. Nam in quo prædicamento collocaret

LOGICUS Enunciationem aut definitionem,

RHETOR Chriam aut figuram.

MEDICUS Balsamum aut Eleæuarium.

JCTIS Tutorem, Agrum, Hæreditatem.

POLITICUS Nobilitatem aut Bellum,

THEOLOGUS Sacram Scripturam.

III. Quantum autem quævis disciplina sibi sufficiat, exemplo quàm facillimo demonstrabimus. Ponamus artem futuriam: ea, tanquam practica, tres constituit classes, *SUBJECTI*, *FINIS* & *MEDIORUM*, seu ut commodius loqui licet, *OBJECTORUM*, *EFFECTORUM* & *INSTRUMENTORUM*. Inde sic procedit:

OBJECTUM est Corium: idque vel *Cordubense, Moscoviticum, Anglicum, Gallicum, &c.* quot hic emergunt species!

EFFECTUS: *Ocrea, calcens, crepida &c.* & hic variæ sunt species.

INSTRUMENTUM

ingrediens: *filum cannabium, claviculi lignei &c.*

præparans: *regula calcearia, assula, scalprum &c.*

perficiens, idque.
ad necessitatem: *modulus ligneus, subula, falcula &c.*

ad commoditatem: *sella, digitale, corium manuale & genuale &c.*

ad ornamentum: *atramentum, spongia, cera &c.*

IV. Equidem Sutores cæteriqve tum opifices tum artifices suas sibi reservent species: dummodo clarum sit, neminem adeo Logices naturalis expertem, quin suæ professionis genera & species distinctè cognoscat, suisqve discipulis cognoscendas proponat.

V. Interim cur id sibi non tribuant disciplinæ potiores, quæ Logicam artificialem secutæ, melius & commodius ad specierum suorum distributionem procedunt?

VI. Ipsa Logica duo summa habet genera, INSTRUMENTUM & Applicationem seu ARTIFICIUM. Instrumentum est vel *Terminus primæ operationis, vel oratio, eaque tum simplex secunda*

cunda operationis, enunciatio, tum composita tertia operationis. Syllogismus. Artificium esse quadruplex è superiori capite patet. Jam apparet quam commodè dicatur Enunciatio est oratio: definitio est artificium orationis, quæ explicat naturam rei: vel compendiosius, quoniam artificii mentio præsupponitur: oratio explicans naturam rei.

VII. Rhetorica itidem habet INSTRUMENTA inventionis, depositionis, elocutionis; & ARTIFICIA quæ spectantur in orationum speciebus, SCHOLASTICIS, POLITICIS, ECCLESIASTICIS. Jam quid impedit, quo minus dicam: *Chria est instrumentum dispositionis. Figura est instrumentum elocutionis.*

VIII. Sic si Medicus docere debeat in quo prædicamento sit *Balsamum* aut *Electuarium*: ipsa Pharmacologia Generum loco statuit MEDICAMENTUM NATIVUM s. simplex, & PRÆPARATUM s. compositum, quibus subijci possunt species, quotquot à Pharmacopolis numerantur.

IX. Jcti de suis Generibus securi sunt, postquam Imperator juris objecta sic distribuit *Omne autem jus, quo vivitur, vel ad PERSONAS pertinet vel ad RES, vel ad ACTIONES.* In quas autem species singulæ dividantur, clarum est. Imprimis pulchræ Rerum sunt species: *CORPORALES* quæ tangi possunt, eaque tum *IMMOBILES.* *Prædia rustica ac ur-*

bana, tum MOBILES: INCORPORALES quæ consistunt in eundo jure, ut *SERVITUS, HAEREDITAS, OBLIGATIO*. Jam *Tutor est persona, Ager est prædium rusticum, Hereditas est res incorporalis*.

X. Ipsi vero prædicamenti Juridicis, multum accedet lucis, si primo cognoscatur systema totius Doctrinæ mortalis, quæ, proponit.

SUBJECTUM, Persona in societate humanâ vivens, eaqve

SIMPLEX, unus homo.

IMPERANS,

PARENS, eaq; vel *PUBLICA* vivens in statu Ecclesiastico s. Clerico; aut Civili s. Politico; vel

PRIVATA, vivens in statu Oeconomico.

COMPOSITA, Societas è multis hominibus ita consistens, ut unam personam in certis actibus representet. *Senatus, Collegium, Exercitus*. Nobilissima hujus species est *RES-PUBLICA*, quæ iterum dividitur in *MONARCHIAM, ARISTOCRATIAM, DEMOCRATIAM*.

Differentiæ & Proprietates harum Personarum petuntur.

in **ETHICIS** s. in Theologia morali ab obligatione s. officiis, quibus devinctam habent conscientiam.

in **POLITICIS**, vel

à jure externo, & strictâ obligatione, quæ inde sequitur, quæ est

Jus

Jus Principis: MAJESTAS, quæ diverſ. habet jura ſ. Regalia. *Jus belli, pacis fœderum, legum, judiciorum, tributorum, præmiorum.*

Jus personarum publicarum, vel privatarum.

vel à ſtatu ſ. conditione, quæ habent reſpectu bonorum fortunæ. *Nobiles ingnobiles, Divites pauperes.*

FINIS. ſ. felicitas huic ſubjecto introducenda,

ETHICUS, Virtus, quæ ſuas ſpecies facile invenit, præcipuè ſi placeat ſectari Decalogum.

POLITICUS, Sufficiencia & conſervatio Reip. quo referuntur omnia fortunæ bona, quatenus felicitatis hujus vel inſtrumenta ſunt vel partes.

MEDIA, quibus poſitis, felicitas ſeqyatur.

LEGES, quæ divina, naturales, civiles, publicæ, privatae, ſcriptæ, non ſcriptæ &c.

CONSILIA.

Virtutum Politicarum: *Simulationis-diffimulationis Cunctationis-ſeſtinationis, Cautionis-diffidentia &c.*

Actiõnum Politicarum: *Pacificationis, Belligerationis, judicii tributarum &c.*

XI. Jam ſi quæras in quo prædicamento ſit NOBILITAS? ea vel eſt *Status* vel *bonum, fortune,* vel quatenus eſt *præmium, Objectum Ma-*

jestatis, aut medium conservandi Remp. Si quæris quid sit BELLUM? aut est Status Resp. aut malum fortuna, aut medium conservandi Remp. Et proinde quoniam tot respectus intercedunt, non improbandi sunt, qui definitionem formant omisso vel subintellecto genere: bellum est, cum inter duos principes publica exercetur inimicitia.

XII. Restat exemplum theologicum; Sed hæc disciplina distribuitur in PRINCIPIUM & PRINCIPIATA. Principium, quatenus est revelata, est Verbum Dei, idq; vel scriptum post Mosen, vel non scriptum ante Mosen: jam quid dici posset commodius, quam *Scripturam S. esse Verbum Dei.*

XIII, Forfan aliquis scire voluerit, quorsum ipsa referatur Logica, cum dicitur *disciplina instrumentalis?* sed si cogitemus, Logicam esse vel DOCENTEM vel UTENTEM, quæ distinctio per omnes valet disciplinas: Utens vocatur Habitus, & pertinet ad primam speciem Qualitatis: Docens, etsi referri potest ad classem rerum artificialium, tanquam artificium methodi: tamen commodissimè reducitur ad illud Prædicamentum, in quo est Habitus.



Ung III A 114

ULB Halle

3

003 311 996



V D 17

V d 18

3





B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

CHRISTIANI WEISII ²
NUCLEUS
LOGICÆ,

Succinctis
REGULIS
sufficientibus tamen
EXEMPLIS

in
COMPENDIO
exhibens

quicquid a primis disciplinæ
auditoribus disci vel requiri
potest,

*In eorum gratiam, qui majori Logicæ,
jamãndum publicatæ, manus admove-
re tandem capunt.*

Prostat Lipsiæ apud Joh. Casparum Meyerum:
EISENBERGÆ,
JACOBI PETRI KÜCKELHANNII, A. 1706.